



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De missione Spiritus Sancti

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica Pentecostes.

I. De missione Spiritus sancti. Act. 2.

I. **D**VM complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Voluit Christus Dominus vna cum æterno Patre promissum Spiritum sanctum discipulis in cœnaculo montis Sion, quod est typus Ecclesiæ, congregatis, orationi q; intentis mittere ipso die quinquagesimo à Paschate, & resurrectione sua, quo olim lex vetus in monte Sion data recolebatur, ad indicandum 1. à Spiritu sancto non iam in tabulis lapideis, vti olim legem timoris; sed in tabulis carnis seu cordibus hominum describendam imprimendam que legem charitatis. 2. Iam aduenisse tempus gratiæ & remissionis peccatorum, tot sæculis expectatū. 3. Oportere homines præparare corda sua veluti viuos codices, in quibus Spiritus sanctus dignetur inscribere legem charitatis, vti Moysen constat tabulas præparasse, & præiunio inscriptionē legis impetrasse.

O quàm liberalis & fidelis Dominus

Exod. 24.
Ch 32.

nus noster in omnibus verbis suis, qui è carcere mundi huius egressus, & gloria sublimatus, non est oblitus nostri, vti olim pincerna Iosephi: sed statim *Gen. 40.* misit promissum Paracletum, ex infinito amore nostri, ad imprimendam cordibus nostris legem charitatis! Gratitudo, amor, zelus exactè obseruandi legem charitatis erga Deum & proximum.

II. *Factus est repente de caelo, sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes.* Spiritus sanctus à Patre Filioque missus, venit sub specie spiritûs vehementis, cum sono instar tonitruï: largeq; non solum dona sua, sed seipsum fontem donorum discipulis omnibus & singulis in domo congregatis impertiuit, idq; repente ex infinito amore, & mero beneplacito suo, ad indicandum i. quàm paratus sit gratia sua, quæ *noscit rarda molimina*, animas iustificando viuificare, spiritualem vitam in ijs conseruare, & concupiscentiæ ardores mitigare, sicut inspiratione aëris seu venti vita conseruatur, ardorq; internus mitigatur: imperfectionum nostrarum paleas instar venti difflare, atque ad sublimioris perfectionis

ctionis

ctiois studium vehementer quidem, sed suaviter, impellere. 2. Quam desideret eos, quos ipse sic viuificarit, illuminarit, impuleritque, feruere zelo aliorum quoque salutem ac perfectionem promouendi. 3. Quam promptus sit liberalissimè se communicare omnibus Ecclesiæ filijs, & quidem singulis, abundantè gratia animas singulorū omnesq; potentias sic replendo, vt omnia eorum interiora benedicant Domino. Gratitude, amor, zelus propriæ alienæque perfectionis.

III. *Apparuerunt illis dispersita lingua tanquam ignis, seditq; super singulos eorum.* Voluit præterea Spiritus sanctus hodierna die apparere in specie ignearū linguarum, ad significandum, 1. Se venire in Electorū animas ad purgandas illas, atque instar auri argenti que purificandas a scoria peccatorum, prauorum habituum, inordinatarum passionum: ad illuminandas easdem in mysterijs Fidei compendiosisque vijs omnimodæ perfectionis assequendæ, per assiduum exercitium virtutum: ad inflammandas demum igne perfecti amoris Dei, & proximi, sursum erigendas, totasque in Deum per conformitatem iudicij & voluntatis transforman-

mandas. 2. Se vnice optare, vt animæ, quas ipse sic purificauit, illuminauit, inflammavit, cooperando feruenter communicatæ sibi gratiæ contentur indies euadere seipsis puriores, illuminatiores, amore feruentiores. 3. Se insuper velle, vt communicatis sibi charismatis impensè vtantur in alijs quoque purgandis, illuminandis, accendendis. idque ex eodem infinito amore, eo fine, vt in terris sublimiorem gratiam, in cœlis ampliorem gloriam sibi alijsq; acquirant. Affectus ijdem.

Feria II. Pentecostes.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3. II.

I. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Quam inestimabilis illa Dei erga homines vniuersos & singulos, & te, tam ingratum, dilectio, quæ vndequaque est infinita! Nam dator tanti doni est Pater infinitæ Maiestatis: donum datum, est Filius, Patri coequalis: amor, quo datur, infinitus, est Spiritus sanctus: infinitum enim donum procedere non potuit nisi ab infinito amore, qui idè etiam dari debuit, vt Filius Dei, qui est donum infinitum, daretur: eum amor*